Die digitale Landesbibliothek Oberösterreich

oö landes bibliothek

Terms and Conditions

The Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Imprint:
Director: Mag. Renate Plöchl
Deputy director: Mag. Julian Sagmeister
Owner of medium: Oberösterreichische Landesbibliothek
Publisher: Oberösterreichische Landesbibliothek, 4021 Linz, Schillerplatz 2

Contact:
Email: landesbibliothek(at)ooe.gv.at
Telephone: +43(732) 7720-53100

gaudeant in futuro. Maior autem erit retributio lugentis quam pauperis et mitis. Plus enim est gaudere in regno quam habere et possidere. Multa enim cum dolore possidemus.

in omel.

Crisostomus. Notandum autem quod hanc beatitudinem cum intentione quadam proposuit. Ideo non dixit: Qui tristantur, sed qui lugent. Et huius perfectionis sapiens magisterium dedit. Si enim qui filios vel alios defunctos lugent, per totum illud tempus non desiderant pecuniam vel gloriam, non iniuriis exacuuntur, nec alia aliqua passione capiuntur, multo magis hi ser[illegible]uare delicta lugent sua propria.

sup. lucam

Ambrosius. Postquam delicta deflevi, esurire incipio et sitire iustitiam. Eger enim cum in gravi morbo est non esurit. Unde sequitur: Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam.

Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam: quoniam ipsi saturabuntur.

Ieronimus. Non nobis sufficit velle iustitiam, nisi iustitie patiamur famem, ut sub hoc exemplo numquam nos satis iustos, sed semper esurire iustitie opera intelligamus.

sup. math.

Crisostomus. Omne bonum quod non ex amore ipsius boni facitur, homines ingratum est ante deum. Esurit autem iustitiam qui secundum iustitiam dei desiderat conversari. Sitit autem iustitiam qui scientiam eius acquirere cupit.

in omel.

Crisostomus. Iustitiam autem dicit vel universalem virtutem vel particularem avaritie contrariam. Quia enim de misericordia dicturus erat, premonstrat qualiter misereri oporteat, quia non ex rapina vel ex avaritia. Unde et que est avaritie propria, scilicet esurire et sitire, iustitie attribuit.

Hylarius. Sitientibus et esurientibus iustitiam beatitudinem tribuit, significans exercitium in dei doctrina sanctorum auditum perfecta in celo satietate repleri. Et hoc est quod dicit: Quoniam ipsi saturabuntur.

sup. math.

Crisostomus. Scilicet largitate remunerantis dei, quoniam maiora erunt premia dei quam sanctorum desideria.

Augustinus. Vel illo cibo saturabuntur in presenti, de quo dominus dicit: Meus cibus est ut faciam voluntatem patris mei, quod est iustitia. Et illa aqua de qua quisquis biberit fiet in eo fons aque salientis in vitam eternam.

in omel.

Crisostomus. Vel iterum tertium premium determinat. Quia enim estimatur avaritia habundantes facere, ipse e contrario dicit quod iustitia hoc patitur. Qui enim iustitiam cupit omnia cum stabilitate habet.

Beati misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur.

Glossa. Iustitia et misericordia ita coniuncte sunt ut altera ab altera debeat temperari. Iustitia enim sine misericordia crudelitas est; misericordia sine iustitia dissolutio. Unde post iustitiam de misericordia subdit dicens: Beati misericordes.

Remigius. Misericors dicitur quasi miserum habens cor, quia alienam miseriam quasi suam reputat, et de malo alterius quasi de suo dolet.

Ieronimus. Misericordia hic non solum in elemosinis intelligitur, sed in omni peccato fratris, si alter alterius onera portemus.

Augustinus. Beatos autem dicit esse qui subveniunt miseris, quoniam eis ita rependitur ut de miseria liberentur. Unde sequitur: Quoniam ipsi misericordiam consequentur.

Hylarius. In tantum enim deus benivolentie nostre in omnes delectatur affectu, ut suam misericordiam sit solis misericordibus prestaturus.

in omel.

maior

Crisostomus. Videtur autem esse equalis retributio, sed multo maior est; non enim est equalis humana misericordia et divina.

Glossa. Merito ergo misericordibus misericordia impenditur, ut plus accipiant quam impenderunt. Et plus recipit qui ultra satietatem habet quam ille qui habet tantum ad saturitatem. Sic maior est gloria misericordie quam precedentium.

Beati mundo corde: quoniam ipsi deum videbunt.

Ambrosius. Qui misericordiam defert, misericordiam amittit nisi mundo corde misereatur. Nam si iactantiam querit, nullus est fructus. Unde sequitur: Beati mundo corde.

Glossa. Convenienter autem sexto loco ponitur cordis mundicia, quia sexta die